

Q. D. B. V.
EXERCITATIONEM PHILOLOGICAM

Περὶ
Τελωνῶν καὶ Ἀμαρτωλῶν
Ex

Matth. IX. cap. vers. 9, 10.

publicae luci sistunt

PRÆSES

M. BALTHASAR STOL
BERGIUS,

ET
RESPONDENS

MATTHÆUS METZGERUS,

Dresdensis.

adi Diem 23 Maij.

WITTEBERGÆ,

Typis Johannis Haken, Anno M DC LXIII,

Exeg.

C.

227,46

V I R O

Reverendisimo, Nobilissimo atq; Magnifico
DNO. JACOBO VVELLERO

â **Wolfsdorff in Karlsdorff**

Hæreditario, Theologo de Ecclesiâ Christi meritissi-
mo, SERENISS. ELECT. SAXON. â concionibus Auli-
cis primariis, Confessionibus sacris, &
Consiliis Ecclesiasticis &c.

DNO. Patrono atq; Promotoris suo Summo.

VIRI Sitem

Amplissimis, Consultissimis ac Spectatissimis

DNO. JOHANNI PAULO Raden

Sereniss. Elector. in Quæsturâ Misnenſi

Procuratori gravissimo,

DNO. JOHANNI SCHREBERO,

Notar. Publ. Cæsar. & Juris Practico Misenæ clarissimo,

DNN. Patronis ac Fautoribus suis omni
observantiæ cultu prosequendis

Hunc discursum Philologicum in Patrocini
& ulterioris favoris illicium, debitæq;
observantiæ indicium

D.D.C. RESPONDENS.



Σὺν θεῷ παλάμα,



Ostquam Pompejus Magnus impetu captis Hierosolymis, Judæā Romanorū subjecit arbitrio, eidē quoq; imposuit Tributa, & τὰ Ἱερουσόλυμα ὑποτελῆ φόρος Ρωμαίοις ἐποίησεν apud Josephum lib. 14. h. e. Hierosolymā Romanis stipendiariam fecit. Quale hoc fuerit Tributum, non exprimitur. Aliqui verò ex omnibus circumstantiis colligere volunt, fuisse dimidium Siclum, sive δίδραχμα templo Domini antehac annuatim destinatum, tunc autem eidem ereptum, Romano- que fisco attributum. Conf. Harmon, Chemnit-Lyserian. c. 9. pag. 987. In Historiā Evangelicā passim commemorantur Τελῶνας sive Publicani, qui inter Judæos colligendis exigendisq; tributis ac vectigalibus à Romanis præfecti erant. De his, ut & Ἀμαρτωλοῖς, qui illis sæpius junguntur in Novò Fœdere, pauca commentari in animū induximus. Faxit Deus, ut omnia prosperè cedant.

SECTIO I.

De

PUBLICANIS.

§. 1. Τελῶνης compositum est è nomine τέλϞ vectigal, & ὠνεόμαι emō, dicitur de eò, qui τέλϞ ὠνεῖται. Glossar. Τελῶνης, Publicanus, Vectigalium conductor, Portitor. Ebraicè שגנן. Rabbinis Publicanus est סכמ, Sy-

Α 2

ris

ris ΝΟΝΝ cum 27 δεχίτελωνης Luc. XIX. 2. cum τῶν
Telonium; Suidas simpliciter interpretatur ἐταῖος h. e.
exactor tributarius, vectigalium, qui omnia scrutatur & in-
quirit, ut rigidissime vectigal colligatur, ab ἐτάζω, exa-
mino, inquirō, scrutor. Verbum τελωνεῖν δαι usurpatur
1. Maccab. XIII. 39. quando victi hostibus superioribus tri-
butarii facti imposita tributa pendunt & solvunt.

§. 2. Inde est τελώνιον, vel ut Suidas τελωνεῖον, ὁ τό-
πος ἐν ᾧ καθέζεται ὁ τελώνης, Locus, ubi sedet Publica-
nus, Publicanorum mensa. Adrichomius Theatr. Terr. san-
ctae ita describit Telonium, quod fuerit domus mari Ga-
lilææ juxta Capernaum adiacens, in quâ Publicani tribu-
ta à præternavigantibus & applicantibus recipiebant. E-
rat enim circa Capernaum propter loci opportunitatem
frequens negotiantium trajectus, mercibusque certa ve-
ctigalia imposita, quæ ut diligentius exigi possent, domus
extra civitatem in litore constructa fuit.

§. 3. Publicani dicuntur à publico, quod conduce-
bant à fisco. Ita vocabantur publica populi Romani bo-
na, & interdum vectigalia. Horat. l. I. Epist. l. v. 77. Pars
hominum gestit conducere publica. Apud Sveton. Ca-
lig. c. 40. Publico teneri, est teneri ad solvendum vectigal
in publicum. Erant autem Romanorum reditus, ut Scul-
tetus explicat apud VValerium ad Luc. III. tum ex proventi-
bus terræ annuis, tum ex rebus importatis. Illos vocabant
φόρον, tributum, stipendium. Quò sensu apud Polyb. l. I.
de Mamert. πολλά μέρη τῆς Σικελίας ἐφορολόγησι, mul-
tas urbes Siciliæ tributum pensitare coegerunt; & Dion.
φόρον ἐπιτάξαι πᾶσιν ἀπὸ τῶν τοῖς ἑπικαρπίαν τινὰ τῶν
κεκτημένων αὐτῶν παρέχουσι. Reditus verò ex mercibus
importatis nominabant τέλη vectigalia, propriè porto-
ria, quæ in itinere præstari solent. Ita quoque Phavori-
nus: φόρος κυρίως ἔστι ὑπὲρ τῆς ἰδίας εἰς φορολόγιον τῆς τέ-
λης ἢ ὑπὲρ τῆς ἐμπορίας σωτέλεια. Quin imò Apo-
stolus Paulus discrimē notat inter φόρον & τέλη. Rō. XIII.

§. 4. *Rofinus Antiquit. Roman. lib. 10. c. 22.* Tributum duplex facit, unum pecuniæ *ordinarium*, quod in caput atque in solum impositum, quotannis exigebatur: alterum *extraordinarium*, quod aut ex lege, aut Senatus consulto pro usu provinciæ aliquando imperabatur, veluti cum naves, nautas, milites, ac sumtum in eos dare Provinciæ jubebantur. Vectigal triplex commemorat, *Portorium*, quod ex importatione & exportatione rerum venalium capiebatur: *Scriptura*, quod ex pascuis publicis *Decumæ*, quod ex agris, qui frumenti Decumam sive quamvis aliam partem darent. Idem innuit *Cicero pro Leg. Manil. Neq; ex portu, ait, neq; decimis, neq; ex scripturâ vectigal conservari potest.* Fatendum verò differentias dictas non semper observari apud Autores, qui sæpè promiscuè habent voces istas, *Tributum & Vectigal.*

§. 5. Discernendi deinde sunt *Publicani à Portitoribus*, de quibus passim *Cl. Salmasius dissertat. de Fœn. Trapezit. pag. 243. seqq. 384. & c.* Publicani propriè sunt, qui publicum aliquod redimebant, ut vicefimæ hæreditatum, vicefimæ libertatum, quique cætera hujusmodi vectigalia conducebant & portoria. Portitores deinceps nominabantur illi, qui portorii exigendis ab illis ipsis Publicanis præficiabantur. E.g. *Publicanus* est, qui vicefimæ aut decimæ publicum redimit, & pro eò, quod convenit, *Reipubl. reddit.* Quem autem præficit iste publici redemptor, sive *Publicanus vicefimæ vel decimæ colligendæ*, *δεκατηλόγος* & *ἐκκοσολόγος* dicitur. Publici autem redemptor sive *Publicanus* græcè *δημοσιώνης*, nonnunquam & *τελώνης*, quod vocabulum ambiguum est. Et tantum sanè intererest, scribit *Salmasius*, inter hujusmodi minutos *Publicanos*, qui propriè Latinis portitores, & illos qui publica conducebant vectigalia, quos *Publicanos* iidem Latini vocant, quantum inter magnarios mercatores, & viles subcoctiones vel *πικραπύλλας*.

§. 6. Talem fuisse *Zachaum*, ex majorum nempe

A 3

gen.

gentium numerò , & verè Publicanis dictis, quem δεξιελώνην appellat Evangelium Luc. XIX. 2. eidem Autori videtur; qui verò non recusat, si quis ibi δεξιελώνην eorum Portitorum sive Exactorum præfectum vel primatem velit exponere; quod Beza forsitan vult, qui Magistrum fuisse asserit ejus societatis, quæ ibi coierat. Erant enim, ait ad Luc. cit. l. Publicani necessariò in societates distributi, quò suos habebant Magistros. Conf. Harm. Chemnit-Lyfer. c. 137. pag. 1404.

§. 7. Inter Gentiles, maximè Romanos, Publicanorum ordo & numerò amplissimus, & Personarum dignitate potentissimus erat, *Livius Histor.* l. XXV. c. 3. refert, *M. Posthumium Pyrgensém Publicanum* suffragium populo per vim extorsisse, concilium plebis sustulisse, tribunos in ordinem coëgisse, contra populum Romanum aciem introduxisse, locum occupasse, ut Tribunos à plebe intercluderet, tribus in suffragium vocari prohiberet. Erant ut plurimum equites, ut *Cicero* testatur *pro Planc.* qui ait: *Flos equitum Romanorum, ornamentum Civitatis, firmamentum Reipubl. Publicanorum ordine continetur.* Idem *pro Domino Ordinem equestrem* pro Publicanis nominat. In Galliâ quoque Principes viros Publicanorum exercuisse munus, *Julius Caesar* auctor est, qui *Dumnorigem* inter suos potentissimum, cum plures annos portoria reliquaque omnia Aeduorum vectigalia parvo pretio redempta habuisse commemorat *lib. I. de Bell. Gall.*

§. 8. Hos majorum gentium Publicanos melioris famæ & honestioris ordinis, minimèque invisos fuisse certum esse censet *Salmasius*; quia nihil ipsi exigere solebant, nisi à Portitoribus, quos colligendis portoriis præponebant. His verò determinata erat exactio, & constitutum, quantum accipere deberent, qui sæpè hunc modum transcendebant, ac τὸ δὲ τὸ διατεταγμένον exigebāt, quod Græci παρεκλέγειν & παρειαπείττειν dicunt. Rectius itaque hoc in loco verti τελώνην per portitorem, asse-

asserit, contra veterem Interpretem, quem ambigua fellit vox, quæ æquè de Publicanis accipitur apud Græcos, ac de Portitoribus.

§. 9. Verum nec hos omni caruisse invidiâ probari facile potest. *Ubi Publicanus est*, scribit Livius, l. 45. c. 18. *ibi aut jus publicum vanum, aut libertatem sociis nullam esse.* Et lib. 21. per initia eos malè audivisse prodit. Dum enim vectigalia publica redimebant à Senatu Cæsaribusque Romanis, datâ certâ pecuniâ, illi postmodum à subditis magna rapacitate atque iniquitate exigebant multò plus, quàm illis debebatur, eoque nomine infames reddebantur. Quamquam autem non per se ipsi, sed per suos ministros ac portitores colligebant, tamen quod per alios fecerunt, ipsi fecisse putantur. Nam cum ipsis exactio determinata non esset, ut fatetur *Salmasius*, redemptis vectigalibus, poterant extorquere, quantum vellent, modò redemptionis suæ summam Magistratui solverent. Ita *Dumnorix* parvo pretio redempta habebat Aeduorum vectigalia, quod *illo licente, contra liceri auderet nemo.* Plus autem cum exigeret, quàm conduxerat, maximum fecit lucrum, remque familiarem auxit, & facultates, ad largiendû magnas comparavit, magnum numerum equitatus sumtu semper suo aluit, & circum se habuit, teste *Cæsare l. cit.*

§. 10. *Ciceroni* quidè pro *Lege Manil.* Publicani homines & honestissimi & ornatissimi sunt, quando hanc rationè addit: *Si vectigalia nervos esse Reipubl. semper duximus, eû certè ordinem, qui illa exercet, firmamentum cæterorum ordinum rectè esse dicemus.* Et aliunde notum Reipubl. Romanæ in extremis constitutæ omnia necessaria ultrò commodasse Publicanos. Sed de injustis extorsionibus & fraudibus silètiû est, quarû verò *Livius* meminit in *Posthumio*, qui *multis annis parem fraude avaritiæ, neminem in civitate habuit.*

§. 11. Sa-

§ II. Sanè in eò telonio exercendo posse etiam legem observari nemo negaverit, quatenus tributum à suo populo accipere regibus permissum, ita etiam ei exigendo, quos velint præficere, concessum. *Ut contra legem divinam, ait Salmasius, non peccat rex, qui tributum populo suo imponit, & ei exigendo aliquem præponit: ita nec ille τελώνης, qui à rege huic muneri præpositus est, rem illicitam aut illegitimam facit, si munere illò demandato rectè fungatur.* Johannes Baptista non jubebat ipsos officium deserere, sed iniquas extorsiones, injustas exactiones & crudeles expilationes prohibebat, Nihil, inquit, amplius, quàm quod constitutum est vobis, exigite, Luc. III. 13. Hanc verò normam difficile est tenere in plerisque rebus, & præcipuè quæstuariis, & iis maximè, quæ autoritatis publicæ prætextu utuntur ad rapinas suas, fraudes & furta obtegenda. Adeò vix obtinueris à talibus, ut πλέον non exigant, quàm ipsis constitutum. Namque φιλήδονοι καὶ φιλοφώματα καὶ φιλοχρήματα καὶ φιλόθεοι αὐτοὶ εἶναι ἀδύνατοι, ὃ ἢ φιλοχρήματα ἔξ ἀνάγκης ἀδίκου, εἰς μὲν θεὸν ἀνόσιτοι, εἰς ἢ ἀνθρώπους ὀδύνομενοι.

§. 12. Τελῶναι illi, qui ubique in Evangelio junguntur cum ἀμαρτωλοῖς & πόρναις, πλεονέκται sunt & σύκοφάνται, Judæis maximè odiosi; quos Portitores rectius verteris, quàm Publicanos juxta *Salmas.* Cujus rei non una affertur ratio. *Abulensis* cum *D. Hieron.* in *Evangel.* factum ait, quia hujusmodi munera vix sine peccatò exerceri possunt. *Jansen.* *Concord. Evangel.* c. 13. verò, quod vi & rapinis grassarentur. Erant sanè homines isti ex avaritiâ, fraudibus, imposturis, exactionibus & expilationibus torti compositi, quibus in lucrum cedebat, quicquid ultra summam, quâ publicum redemerant, corradere poterât. De eorum improbitate tum *Baptistæ* ad ipsos sermo, tum *JCTI* nos docere possunt. Ad compescendam enim audaciam atque avaritiam peculiare edictum contra Publicanos eorumque familiam propositum: *Quod publicanus,*
sive

sive alius ejus nomine, quodq; familia ejus rapuerit, si id resti-
tutum non erit in duplum, aut si post annum agatur, in simpli,
judicium dabo.

§. 13. *Baronius* T. 1. hanc rationem affert: Quod Ju-
dæi genus Abrahami ex liberâ liberos se profiterentur; i-
deoque nefas execrandumque existimarent, contribules
suos ad vectigal Romanis præstandum se compellere. Sci-
licet non tantum improbitatem quæstui plerumque con-
nexam; sed ipsum etiam quæstum execrabantur, quod in-
dignum crederent Judæo homine instrumentum fieri ex-
ternæ servitutis, quam non sine insigni impietate sibi ut
electo Dei populo imponi posse putabant. Ideo quando
è Judæis aliquis publicanatum gerebat, existimabatur esse
Apostata, & planè eòdem locò habebatur, quò ἐθνικός ἢ ἐ.
ἀλλόφυλος, à Deo alienus, qui neque Legis, neque disci-
plinæ Judaicæ ullam haberet rationem. *Conf. B. Chemnit.*
Harm. cap. 44. p. 344. Ideo Publicani modo junguntur ἐθ-
νικοῖς Matth. XVIII. 17. modò ἀμαρτωλοῖς, ut h. I. Marc. II.
15. 16. Luc. V. 30. VII. 34. XV. 1. & nominatim ταῖς πόρναις
meretricibus Luc. XXI. 31. 32. In *Pandectis Talmudicis* per-
scriptum *Grotius* observavit, Publicanos apud Judæos Ju-
dices ne ad testimonii quidem dictionem fuisse admis-
sos. Vulgatum est Rabbiorum proverbium: אין לך
id est, ממשפחה שיש בה מוכס שהם כולל מכסין
Ne contingat tibi uxor è familiâ, in quâ aliquis sit publi-
canus, quia omnes sunt publicani i. e. *Latrones, scelerati,*
peccatores.

§ 14. Neq; à *Judæis* modò odio habebantur *Vecti-*
galium & tributorum exactores, ipsis quoque *Græcis* invisi
maximè fuerunt, qui telonium exigere probro ducebant.
Plut. lib. ὅτι τὸ μὴ δεῖν δαυεῖζεσθαι: τὸ τελωνεῖν ὄνειδος ἢ
γὰρ τῶν. Apud *Xenonem* Poëtam Veterem hi leguntur
versus:

Β

Κακόν

Κακὸν τέλος ἔχουσι τοῖς Ὀρωπίοις,
Πάντες τελῶναι, πάντες εἰσὶν ἀρπαγες.

Id est, Malum exitum habeant Oropii, quia omnes portitores, omnes sunt raptores. Quemcunque etiam sceleratum hominem per contumeliam τελῶνην fuisse appellatum ex *Aristophane in Equit.* colligimus, πᾶς, inquit, πᾶς τὸν πανῆργον καὶ τελῶνην, *Percute, percute veteratorem, & portitorem.*

§. 15. *Suidas* variis modis describit vitam Publicanorum; quod ἴσθι πεπαρῆσιασμένη βία, ἀνεπίσημη εἰρπαγή, ἀνάγκη πλεονεξία, πραγματεία λόγον μή ἔχουσα. i. e. vis liberrima, rapina extra reprehensionem, quæstus impudentissimus, negotiatio non habens rationem. *Pollux* I. VI. c. 31. Τελῶνας inter βέβης ἐπονειδίζους probrosas ac turpes professions recenset, βίοι, αἰτ, ἐν οἷς ἀντίς ὀνειδιστεῖν, πορνοβοσκός, κάπηλος, ὀπωρώνης, ὀπωρώπώλης, τελῶνης, δεκατώνης, δεκατηλόγος, εἰκοσιλόγος, πεντηκοσιλόγος, ἐλιμνιστής, κήρυξ, ναύτης, πανδοκός, πορθητής, μαστροπός, ὑπηρέτης, βυροδέψης, σκυθδέψης.

§. 16. Ideo *Celsus apud Origenem Lib. i.* exprobrabat Christianis, Apostolos Jesu fuisse ἐπιβήτας ἀνθρώπων, τελῶνας καὶ ναύτας πονηροτάτους, infames ac probrosos homines, portitores, & nautas impurissimos, ὄντας ὑπὲρ πᾶσαν ἀνομίαν ἀνομωτέρους, flagitiosorum flagitiosissimos. *Theocritus* cum interrogaretur, quænam essent sævisimæ bestiarum, respondit: ἐν μὲν ὄρεσιν ἀρκτοὶ καὶ λέοντες, ἐν δὲ πόλεσι τελῶναι καὶ συκοφάνται, In montibus quidē ursi & leones, in Civitatibus verò Publicani & Sycophantæ. *Cicero* etiā inter odiosos quæstus nominat Portitores *lib. i. Offic. Primum improbandū*, scribit, illi quæstus, qui in odia hominū incurrunt, ut portitorū & feneratorum. Et ad *Qu. Frat.* Cives, ait, in portoriis Italiae tollendis, nō tam de portoriō, quàm de nonnullis injuriis portitorum quæstos esse.

§. 17. De

§. 17. De his τελώναις disquiritur, fuerintnè *Roma-
ni, an Judæi?* *Tertullianus de pudicit. c. 9.* fuisse *Ethnicos* affir-
mat. Quam sententiam *Hieron. epist. 146. ad Damas.* re-
futatur, puta exclusivè acceptam. Etenim dubitandum
non est, uti in aliis provinciis Romanis, ita in Judæa man-
cipēs fuisse Equites Romanos, sed quia illi per se exerce-
re publicum non poterant, Judæis elocasse, aut certè eos
admisisse in partem quæstus, autumat *Grotius*, & ex *Ge-
mana Talmudica* probari posse affirmat. *Salmasius* quoq;
vult p. 384. in Judæa publicum egisse ipsos Romanos equi-
tes, & omnia vectigalia ac tributa conducta à Republica
tenuisse, præfecisse autem ipsos Judæos iis colligendis &
exigendis, qui verè *portitores* erant. Unde etiam repre-
hendit Veterem interpret. qui τελώναις per Publicanos
reddidit, cum rectius intelligerentur in Evangelio *Porti-
tores, qui illorum ministri, in teloniis sedebant ad colligenda
portoria, & cum ὄξυ τὸ ἀγροτελαγιδίον* exigerent, passim
in odio erant.

§. 18. Exemplo *Matthæi* hoc in locò, & *Zachæi* *Luc.
cap. XIX. 2.* probari potest, τελώναις non fuisse *Ethnicos*,
quia Christus *Matthæum* vocavit, & cum cæteris conver-
satus est, & convivium celebravit. Deinde *Luc. VII. 29.*
τελώναι Deum dicuntur δικαιώσαι justificasse, & templū
ingressos esse *cap. XVIII. 10.* quod gentilibus haud conce-
debatur. Imò hoc ipso nomine *Pharisæis* tantò magis
exositerant, quia ipsi Judæi ab *Ethnico* magistratu coeme-
bant, ferè etiā iniquis ex actionibus populum gravabant,
atque sic Magistratum externum probabant, cum *Pharisæi*
populum Judaicum liberum esse, neque externo Magi-
stratu subesse vellent.

§. 19. Cæterum è Patribus plurimi, *Tertullianus*,
Cyprianus, *Chrysostomus*, *Ambrosius*, *Beda*, & qui hos sequi-
tur, *Maldonatus*, statuerunt *Zachæum* fuisse origine gen-
tilē. Verū refellit opinionem vel ipsum nomē (ut alias ra-
tiones taceam) quod purum putum *Hebraicum* est; cujus-

modi nomina Gentiles non soliti sunt usurpare, teste
Casaubono Exercit. XIII ad Annal. Baron. p. 220.

§. 20. Non fuerit quoque alienum, argumentum ap-
ponere, quo suam sententiam probare conatus fuit *Ter-*
tullianus. Proferebat autem ille e scripturis, ut quidem
putabat, auctoritatem conceptis verbis expressam in *Deu-*
teronomio hanc: *Non erit vectigal pendens ex filiis Israel. Sed*
falsus est *Tertullianus*. Si consulisset originem, depre-
hendisset, non esse Scripturæ verba, quibus ipse niteba-
tur, sed interpretis imperiti hallucinationem, quæ multis
imposuit. *Deuteronomii* cap. 33. post hæc verba, *Non*
erit scortator de filiis Israel, in nonnullis Græcorum Codici-
bus addita leguntur sequentia: *ὅτι ἔσται τελευφόρος ἀπὸ*
θυγατέρων Ἰσραὴλ καὶ ὅτι ἔσται τελισκόιδ. ὅτι περὶ τῶν
αὐτῶν εὐχὴν ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ. Non erit vectigal pendens de
filiabus Israel; neq; erit qui iniicietur, quicquid illud sit, quod
noverint. Sed hunc versum neque veritas Ebraica, neque
Paraphraseos Chaldaicæ, Syriacæ, Ierosolymitanæ auto-
res, neque Latina verus versio agnoscunt. Ideò τὸ πονη-
ρὸν κέσματ' ὧν, cum sit vitiosæ percussio, i. e. adulte-
rinus sive spurius, de Sacro codice delendus est. Confer.
iterum Casaubonus loc. cit. & Scultetus apud VValaum ad
Luc. cap. III. 12.

SECTIO II.

De

PECCATORIBUS.

§. I. Ἀμαρτωλοὶ Ebraicè *חַיִּיבֵי* sive *Peccatores*,
quoniam & quales fuerint apud Judæos, paucis indagabi-
mus. Ἀμαρτωλὸς est ab ἀμαρτάνω, *aberro*, ἀμαρτάνειν τῆς
ὁδῆς apud *Isocratem*, *aberrare à viâ*. Item delinquo, pec-
catum admitto. *Pasor* in *Lexico* deducit ex Ebræo *תִּגְדֵּן*,
quod significat *rebellare*. Aliis videtur compositum ex a-
nega-

negativo, & ἁμαρτέω sequor: Aliis ab α, & μάρτω ap-
prehendo, quod peccare sit à scopo aberrare. Ἀμαρτω-
λὸς exponit Suidas, quod sint οἱ τῶν ἁνομιῶν συζεῖν ὡς
αἰσχυροὶ, καὶ βίον διεφθαρμένον ἀσπαζόμενοι, qui flagi-
tiis adhærere malunt, & vitam corruptam amplectuntur.

§. 2. Augustinus super cap. II. Epistolæ ad Galat.
Peccatores dictos fuisse Gentiles refert, quibus hoc nomen
Ebraei vetustâ quâdam superbia imposuerunt. Beza ad h.
l. statuit ita publicanos appellari, qui operam suam ad ex-
actionem tributorum Romanis locabant, cumq; illis ple-
rumque versabantur, ac idcò à cæteris Judæis inter pro-
phanos recensebantur, neque in Synedria recipiebantur,
quod cum incircumcisis communem vitæ consuetudi-
nem haberent.

§. 3. Alii volunt homines plebejos atque egenos à
Pharisæis præ nimio fastu ita nominatos fuisse, respicien-
tes ad cap. Johannis IX. v. 34. Judæici populi ratio, uti e-
am exponit Arias Montanus à VValeo ad Luc. XV. 2. allega-
tus, trifariam divisa erat. Erant primo in gradu opini-
onis & existimationis Pharisæi. Secundo loco sapientum
Discipuli, hoc est, ii, qui non adeo austeram vitam atq;
Pharisæi profitebantur, tamen in mandatorum & traditi-
onum observatione, nihil faciendum in vitâ ducebant, ni-
si quod ex scribarum & Sapientum sententia aut interpre-
tatione profectum esset. Tertio locò habebantur ii, qui
populus terræ dicuntur, in quibus non manifestarii modò
Peccatores, sed communis vitæ homines continebantur.
Nam publicani & peccatores noti nullum gradum tene-
bant in opinione istorum, sed indigni omnino habeban-
tur consortio aut colloquio duarum illarum primarum
classium. In traditionibus unum è sex opprobriis, quæ
vitare jubebantur Sapientum discipuli, erat convivium
& comesatio cum populo terræ; nedum cum Publicanis
& Peccatoribus.

§. 4. Alii denique rectius statuunt, Peccatorum

B 3

vece

voce insinuari eos, qui *publico aliquo scelere noti erant* & *insignes*: quod etiam Maria Magdalena suo exemplo videtur confirmare, quæ *Lucæ* cap. VII. 37. nominatur *ἀμαρτωλός*, i. e. scortatrix. Hæc vox etfi omne peccati genus complectitur, tamen de muliere cum dicitur, non malè posse verti Scortatrix existimat *Casaubonus*. Eterim id genus mulieres *ἀμαρτάνιδες* Græci vocant. *Procopius*: *Αἱ τῶν γυναικῶν ἀμαρτάνιδες ἐκ' ὅτι τῶν ἀνδρῶν ἴενται μόνον, ἀλλὰ καὶ παίδων ἀπτόνται μᾶλλον*, Mulieres scortatrices non viros modò appetunt; sed magis etiam pueros tangunt.

§. 5. Hinc quoque factum, ut amicitiam quandam coluerint Peccatores cum publicanis, à Judæis scilicet ob notoria flagitia, quæ admittebant, ejecti, juxta illud tritum *Aristotelis* *l. 8. Moral.* ὁμοιον ὁμοίῳ ἐφίεται, simile simili gaudet. Tantum,

Τῷ θεῷ δόξα.

Ad

Præstantissimum Dn. RESPONDENTEM

εἰδῶ μοι σερρικήν ἐπιταχιδεκάκωλον.

Ἀφνεὸς πεινχρῆς θ' ὁμῶς νέονται

Ἐς θανάτου τὸ σᾶμα. Ὅς τις δ' ἦλθεν

Ἐψηφίτη πρὸς σοφίας ἀκρον,

Δεικνύων δεξιὰς δεξιάς,

Ἀθάνατῳ μόνει, τῶ τε

Τῶν μ' αἰεὶ πέραι θαλάσας

Καὶ γὰρ πῆλται κλυτῶν.

Ἀὐτὰρ ἀταρπὸς ἐπ' αἰτῶν

Χαλεπὰ τελέθει, βαέας λύπας ἀνάμεσ'.

Ἐν γὰρ ὑψεί κείται, τὸ τε μέρ'.

Πλείστον ἐκείσ' ἐπαείρειν

Ὄμματ' αἰ μὴ στένει πῶ

Μερόπων. Διὸ δεῖ ποιεῖν μελετᾶντε

Δόκλος.

Αόκνωσ. ὁ, τι φίλτατέ
Ποιῶν, ποτέ καρπώσῃ γλυκέαν
Ἀργαλέων σέθεν κόπων ἀμοιβάν,
Κλεῖς μύγισον.

PRÆSES.

Nunquam vera venit sine magno, fama, labore,
Lataq; sudorem gloria semper habet.
Qualibet Hercules dulcissima vendit Apollo
Bellerophontæi dona labore vadi.
Laurea desidia præbetur nulla, triumpho
Gaudere ignavum casta Minerva vetat.
Hac benè dum tecum, MËZGERË, in corde volutas,
Sedulius omnem operam ponis in arte tuam.
Et jam clara tui produs documenta profectus,
Dum celsâ in cathedrâ verba diserta refers.
Gratulor ex animo primis conatibus, atq;
Comprecor, ut Patria sis decus, atq; Patri.
εὐφημίας ἕνεκα

fec.

Georgius Paulus Weller
Dresdensis

METZGERË docte, publicum dum pulpitem
Ascendis, excitasq; docta prælia,
Non absq; laude masculam tuam indolem
Monstras, in artibusq;, quam noctes dies
Huc usq; posuisti, probas industriam.
Quis nunc Tuis non gratuletur arduis
Ausis, & optet quæq; felicissima?
Imposterum sic perge: quæ laudabiles

Mo-

Mores, & eruditio parata præmia
Spondent Tibi tuæq; diligentiz,
Certò illa venturò impetrabis tempore,

gratulabundus

appon.

Johannes Jacobus Weller.
Dresdentis.

